

phrone quaerit: *Εἰπὲ δὴ πρὸς Δίος, τί ποτ’ ἔστιν τὸ ἔχεντο πάγκαλον ἔργον, δὸς οὐ θεοὶ ἀπεργάζονται ἡμῖν ὑπηρέταις γράμμενοι;* Ad quae respondendum erat: Mundi gubernatio ea, qua omnes ad deorum similitudinem perducantur. Quum autem dii sint boni ac sancti, etiam humanos animos fieri volunt bonos ac sanctos; omnino suam ipsorum naturam honestam et justam et bonam, quam Plato iis attribuit, per totum mundum disseminatam, pravitate diis contraria extirpata, unam regnare cupiunt. Neque tamen soli in hoc opere perficiendo versari volunt, sed etiam hominibus utuntur ministris. Quapropter ita homines adjuvare debent deos, ut et semetipsos et alios explorent et ad virtutem excitent, id agentes, ut magis magisque omnes homines ad deorum similitudinem conformentur. Qui igitur in eo studio versantur, ut et ipsi ad perfectam deorum naturam quam proxime accedant et alios hac in re quantum possint adjuvent, vere pii sunt. Ea ipsa de causa Socrates, quem Plato praeclarissimum verae pietatis ac virtutis proposuit exemplum omnibus imitandum, in Apologia (cf. p. 30 A) ministerio quodam se fungi deo praestando dicit; mandasse enim sibi deum, ut homines, quotquot conveniret, exploraret, pravitatis et insipientiae convinceret, ad virtutem excitaret atque revocaret. Quo munere quid potest esse majus, quid praestantius, quid magnificentius? Atque quanto purior ac sublimior haec est pietatis cognitio atque definitio vulgari illa et falsa, quae in Euthyphrone praeclare refutatur! Ea est, quae omnibus temporibus opponi posse videatur vulgaribus quibuscunque et falsis de pietate opinionibus. Quare hac quoque in re Plato lucem praetulit temporibus insequentibus, dum is exstitit, per quem omnia sunt perfecta et consummata, Jesus Christus. Etenim si quaerimus, quibus rebus adjuti antiqui homines ad pietatem reliquasque virtutes pervenire potuerint, ne Plato quidem aliud quidquam respondere potest quam: Sapientia, et fortasse addit: Socratis exemplo (Apol.). At licet concedamus illam sapientiam petitam esse ex ratione et conscientia et Socratis exemplum fuisse praestantissimum, tamen nec sufficere potest credere esse deos et virtutem esse expetendam et animos post mortem fore immortales nec Socratis exemplum valet ad salutem animi adipiscendam. Jesus Christus demum et doctrina et exemplo et morte sua potestatem nobis comparavit vitae his in terris recte agendae et beatae etiam post mortem adipiscendae, atque nisi spiritus sanctus vires praebet divinas, quibus adjuti atque corroborati ad divinam naturam Christi similem enitamur, ad divinitatem deique similitudinem pervenire non possumus; quod quidem possumus, dummodo adjumenta et adminicula divina non repudiemus, sed in salute animorum nostrorum adipiscenda studium collocemus acerrimum. Nam qui pii sunt ratione christiana, non sapientia ad virtutem ducuntur, sed amore gratoque animo erga deum, nec humanis exemplis ad summa quaeque propelluntur, sed exemplo Christi divino. Tres virtutes primarias christianas, fidem, caritatem, spem qui amplexantur, vinculo cum deo continentur arctissimo ita, ut etiam homines amore flagranti complectantur nec sancta officia negligent aut in parentes aut in cognatos aut in patriam aut in proximos quoslibet.

Utinam haec pietas in novis Joannei aedibus, quas inauguraturi sumus, floreat ac vigeat! Utinam omnes, qui limina intrabunt, pia mente ingrediantur, egrediantur pia mente omnes, qui discedent! Utinam magistri et discipuli pari sanctitatis studio delectentur, pari dei, quem Christi meritis cognovimus, amore ardeant! Utinam Joanneum nostrum seminarium sit pietatis tam verae, ut omnes virtutes christiana ex eo efflorescant! Utinam huic urbi sit ornamento, patriae decori, toti generi humano emolumento! Utinam permulti in eo erudiantur, qui deo ministros se praebant in mundo gubernando i. e. ad dei similitudinem conformando! Quod faxit deus!

Michael.